concipi haut poterit, quin in Deo detur major, ideoque ejus perfectionibus nil addi poteſt.

§. 5. Quod autem Deus ſit infinitus, id ſatis clare colligitur ex ferme *infinitis entium generibus, infinitis in iisdem deprehenſis perfectionibus, infinitisque entium gradibus*, qui inter Deum & nihil reperiuntur.

§. 6. Ex immenſitate Dei neceſſario fluit ejus *omnipræſentia*. Hæc enim eſt attributum relativum, nil aliud inferens, quam *immenſitatem ad creaturas relatam.*

CAP. V.

De intellectv et omniscientia Dei.

§. 1.

Deum intellectu eſſe præditum, *partim* ex eo, quod homines intelligendi facultate ſint inſtructi, *partim* ex mirabili mundi diſpoſitione apparet. etenim quia clare concipimus, quod ratio, cur ex pluribus poſſibilibus ſeriebus una exiſtat, nec in *mente* nec in *materia* ſed in *Deo* inveniatur, neceſſario ſequitur, Deum illam cognoviſſe, atque ita gaudere *intellectu.*

§ 2. Eſt autem *intellectus divinus* nil aliud quam *actualis repræſentatio omnium poſſibilium & actualium adæquate, intuitive & uno actu* facta.

§. 3. Atque ita Deus mundum, in quo omnia reſpectu *temporis* & *loci* ſunt connexa, diſtinctiſſime cognoſcit, intelligendo quid in quolibet *momento* & *ſpatio* contingat.

§. 4. Omnia autem, quæ ſub cognitionem cadunt, ſunt vel *poſſibilia* vel *actualia*. *Illa* fue-

runt